



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Quanto rarior bona vxor, tanto debet esse charior.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Ex quibus testimonijs videmus, nequaquam nullas esse feminas bonas, tamen si Tullius dixerit: *Femina nulla bona est.* Salomon sapientior Cicerone dixit: *mulierem fortem quis inueniet?* non tamen dixit, nullam omnino inueniri posse, eo quidem loco, alibi autem eò clariùs ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Esto non inuenit ille, inuenit tamen alius. Quanquam planè oportet, valde raram auem esse feminam bonam aut fortem, si Salomon nullam inuenit, cui fuerunt *uxores quasi regina septingenta, & concubina trecenta.* Eiuscemodi ergo loquendi modis multitudo, non vniuersalitas malarum, mulierum significatur. Verum enim est, in sexu fragili, rariùs *fortem* inueniri, si qua igitur fortis est, eam ipsa raritas facit cõmendatiorem. Itaque qui talem nactus est, meritò habet chariorem, Numiniq̃ue gratias meminit: magno enim beneficio affectus est, & quia ferà *pestimã* caret, & *omni malo peiore malo*; & quia talem sortitus est, quæ non sit *domus tempestas*: sed quæ possit tempestatem omnem vultu suo patientiaque serenare; quæ, vt Comicus loquitur, *ingenio est bono, cui malè faciundi, cum est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.* Denique, vt Menander pronunciat,

*Virtutis est penu generosa femina.*

Et secundùm Hippotheontè: *Possessio bona viro est uxor beneuola.*

*Non splendor auri, non vis regni, non opum*

*Tantas voluptates fert luxus aut decus,*

*Quantas viri boni atq; femina pia*

*Mens iusta semper & voluntas optima.*

Quòd si igitur & bonæ sunt feminæ, & malæ, atque ex vtrisque magnæ nascuntur vtilitates, quis Deum accuset, qui hanc, in mundo, finit esse tam vtilem varietatem? Sicut nox & dies, hiems & æstas; dulce & amarum; frigidum & calidum; graue & leue; ignis & aqua, & quæ alia sibi aduersantur, necessaria sunt mundo; ita necesse est, vt neq; homines omnes vnus sint ingenij; alioqui quis excerceretur, si nemo esset, qui excerceret? Non tantùm sicedulas, sed & vpupas natura produxit. Profunt viperæ, cur non prodesse malæ feminæ? Multi certè lurcones plus abligurirent, nisi timerent matrem familias, domi

V I.

Pron. 31. 10.

Eccl. 7. 29.

3. Reg. 11. 3.

V II.